

36263
QUOD FELIX FAUSTUM QUE SIT!

Decreto & Authoritate

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimique
Iectorum Ordinis, in perantiqua ac famigeratissima Academias
Electoralis Palatina Disputationem

De

MENDICANTIBUS VALIDIS,

MODERANTE

VIRO EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO Q;

DN. GEORGIO GISBERTO
GLÖCKNER,

J. U. D. & Antecessore ordinario Academiæ Procancellario, p. t. Facultatis Juridicæ Decano Spectatissimo, Fautore nunquam non observando,

Pro summis in utroq; jure honoribus, immunitatibus ac Doctoralibus insigniis rite & legitime obtinendis.

Publico & placido eruditorum examini submittit
ZACHARIAS CRAMERUS, Sedino Pomer.

Ad Diem Januar. 1672.



iss. jur. civ.

242,22

HEIDELBERGÆ,

Typis Joh. CHRISTIANI WALTERI, Acad. Typogr.

2.64:



I. N. D. J. C. S. N.

P R O O E M I U M.



Umma miseria est, esse mendicum l. fin. in pr. Cod. qui proced. poss. & paupertate importunâ premi nihil importabilius, cum nunquam felix sibi pauper habeatur. Senec. in Her. quisque festinat ad divitias, quisque præproperæ opum accumulationi inhiat, omnibus odiosa est paupertas.

Nemo sane, si vir sit ad unguem factus, hanc amabit, sed illud unum studebit, eoque omnia sua liberalium disciplinarum studia diriger, ut relictâ paupertate ditescat: hoc assecutus, præclare secum actum putabit. Nec hodie hoc primum videamus, jam olim apud Philosophos exosa erat paupertas, & plerique summum bonum in divitiis ponebant. Quisquis, inquit Philosophus Syracusanorum clarissimus Philemo, qui in paupertate vivit, anguste ac tenuiter vivit. Inopia enim prompta est in perpetrandis malis, & vir inops solitarius est. Divinus, ut à Cicerone vocatur, ille Sophocles paupertatem non parvam ægritudinem possidentibus esse dixit. Alceus, poëta ille nobilis Lyricus, hujus vestigiis insistens di-

A 2

rum

rum quiddam paupertatem esse & malum intolerabile,, affirmabat. Euripides alias μισογύνης, quia mulieres odio pro- sequebatur, dictus sic exclamat: o misera paupertas! o malum infensissimum, nullum extat paupertatis templum odiosissimæ Dex. Quapropter in hâc sententiâ, Theognis non dicere erubescet: Oportet fugiendo paupertatem vel in pontum se dare præcipitem, vel ab excelsis rupibus ca- dere, cum semper solutio molestæ paupertatis sit quæ- renda. Non immorabor diutius ab antiquis Philosophis odium paupertatis deducere; Neque multa, quomodo in Jure nostro noceat paupertas, in medium proferam, cùm notum sit pau- perem debitorem suspectum haberi l. 31. ff. d. reb. auth. jud. Nocet paupertas quoque in adoptionibus faciendis l. 17. ff. de- adopt. in actione de dolo proponenda l. II. ff. d. dolo, in ac- cusationibus l. 10. d. accusat. in transactionibus alimentorum l. 8. §. II. d. transact. in fructuum sequestratione l. 2. in pr. qui satisd. cog. & in pluribus aliis casibus; Sed ad etatem, ad seculum moresq; nostros me accingam. Satyricon illud ho- die à plurimis cantatur; Virtus sine pecunia nihil valet, &

Ovid. in. Curia pauperibus clausa est, dat census honores,,
Eleg. Inde gravis Jūdex, inde severus eques.

Ita ut in Theognidis sententiam descendendum ferè videatur, in- quientis: Obnubilantur perniciosa paupertate virtutes, mens ho- minisque corpus dedecore afficitur; negligitur pauper, co- litur dives, & paupertate astrictus neque dicere, neque facere quicquam potest, sed vinclata ei lingua est. Con- templare, queso, quanti pretit pauper habetur, quam res sit abjectissima inopem esse. Non audebit miser pauper in confor- tium divitum, vix in conspectum eorum venire, & si ipse forte:

forte contigit, taceat; aut si aliquid profert, risu excipietur,
 quamvis sapientissime dixerit. Vestitus non virtus, pecunia
 non sapientia estimatur. Quis te respiciet, quis Te salutan-
 tem resalutabit, si vili & abjecto vestitu incedes? Mitra,
 non doctrina virum te faciet. E contra si mollis ac insignis ve-
 stitus tibi erit, quamvis firmum tegat purpura, pecunia di-
 vitiusq; abundabis, Deum te extollent, ac honorem, antequam
 ipsos videbis, voto majorem exhibebunt. Quic-
 quid loqueris, oracula erunt, locum ubique superiorem occupa-
 bis, omnes tuam amicitiam, omnes tuam conversationem am-
 bient. Tanta est felicitas divitium, tanta miseria pauperum.
 Quid igitur faciendum, an cum Philosopho Theognide ad fu-
 giendam paupertatem dabimus nos precipites in pontum, aut ab
 excelsis rupibus corpora nostra proiiciemus? Uti minus Chri-
 stianum hoc est, ita & abominandum. Paupertatem nemo
 sapientum malam judicabit, neque in malorum sorte numera-
 bit, Ambros. in Hexam. in tractat. primi diei relata in
 cane illa cavenda 6. caus. 15. quæst. 1. quin potius omni tem-
 pore à multis prudentibus, ingentibus divitarum cumulis lon-
 ge antehabitam fuisse, Author est asylum illud Juris & doctri-
 nae legalis thesaurus Papinianus, laudatus à Justiniano
 Imperatore acutissimi ingenii Vir, & merito ante alios excel-
 lens in l. 30. C. de fideicommiss. quando in l. 8. ff. de va-
 cat. & excusat. mun. §. 4. in hacce prorumpit verba: Verè
 Philosophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ
 cupidine fictam adseverationem detegunt. Contradicant
 licet multi Philosophi favori paupertatis, plurimi tamen de-
 fendunt. Epictetus Philosophus Stoicus, tanti estimatus, ut
 Lucerna ejus fictilis tribus drachmarum millibus venisse scri-
 batur, sapienter dixit: Examina te ipsum, mi homo, ut
 utrum malis diteiscere, an beari? quod si divitias velis,
Gell. l. 17. c. 19.

rem neque bonam scias , nec omnino in te sitam esse :
 si vero beati , id & bonum est , & penes te : opus enim
 fortuna ad tempus dat commodato ; beatitudo autem à
 nostra voluntate procedit. Cum igitur in pauperate sis
 natus , quid studies ditescere , & non potius in ea condi-
 tione manere ac feliciter agere. *Antiphon orator & dux*
Atheniensium , quo neminem melius oravisse causam capit ,
 cum se ipse defenderit , dicit Thucydides l.8. paupertas ,
 inquit , morum Magistra est , omniaq; reddit dulcia. *Et*
 quid multa de Philosophis ? Paupertatem favorabilem & non
 modo à Deo ipso , sed legibus civilibus privilegiatam esse ma-
 nifestissimum est. Nemo facere debet violentiam pauperi ,
 neque conterere egenum in porta , quia Dominus judi-
 cat causam ejus , & configit eos , qui afflixerunt animam
 ejus , Prov. 20. & cap. 21. qui obturat aurem suam , ne au-
 diat clamorem pauperis , & ipse clamabit & non exaudie-
 tur , Psal. 9. Factus est dominus refugium pauperi , & ad-
 jutor in opportunitatibus , & in tribulatione. it. Psal. 11. in
 pauperes respiciunt oculi ejus. *Alia loca sacra pretereo.* Non
 minorem favorem sentit paupertas in legibus civilibus , que
 omnia hic allegare nec opera pretium , nec hujus loci ac temporis
 est. Passim per universum jus magnâ curâ nec minus copiosa
 largitate pauperibus & inopia laborantibus anxie prospicitur. Vi-
 deatur inter alios Cornelius Benincasius , qui integrum de eo-
 rum privilegiis conscripsit tractatum. Hæc privilegia autem non
 ad omnes mendicantes , qui se pauperes simulant , aut fingunt , ex-
 tendenda esse videmus ex l. unic. C. de mendicantibus
validis. Reperies enim ubique tot impostores , tot otiosos erro-
 nes , qui veris pauperibus eleemosynas præripiunt , ut difficile se-
 pius sit dignoscere , in quibus beneficia tua colloces. Ut igitur huic
 malo aliqua ex parte obviam eatur , veri mendicantes à falsis se-
 parentur , duc tu d. l. unicæ concessi sequentia , distincta in Capita
 quatuor , quorum est

CA-



C A P U T I.

**Quinam validorum mendicantium
nomen mereantur.**

Aphorism. I.

On omnem mendicantem pro vero mendicante habendum, experientia satissuperque edocuit: plerumq; mendicos invenies mendaces. Tot ubique locorum hodie exaudiuntur pauperum querelæ, tot in publicum prodeuntes deprehenduntur errores, corpore validi, artium ignari, & blando tantum juxta ac turpissimo otio summopere indulgentes, ut vix gradum eas, quin assiduis vociferationibus te prosequantur.

I I.

Inficias ire quidem nequimus, Deum & pauperem & divitem fecisse, neque æqualiter vitæ subsidia distribuisse. Te forsitan affluentem & abundantem, alium autem egenum effecit, tibi experimenta benignitatis suæ conferendo, alium vero per virtutem patientiæ coronando. Sed introducta paupertate noluit Deus introduci etiam negligentiam aut segnitiem hominum. Dixit enim *in sudore vulnus tui vesceris pane tuo*, Genes. cap. 3. *Nascitur homo ad laborem,*

rem, ut avis ad volatum: adeoque in prima statim creatione divina Majestas hominem tribus ornavit praesidiis, Ingenio ad inventionem necessariorum, sermone ad auxilium, manibus ad perfectionem omnium eorum, quæ vel ingenio excogitasset, vel sermone ab aliis didicisset. Hier. Cardan. lib. II.

III.

1. Haud minimus numerus tibi occurret sese profitem-
Opifices. tium fabros: ast si eorum pretensas artes exploratas ha-
 bueris, reperies illos fraudum scilicet & nequitiae archite-
 ctos: Sutores atque sarcinatores; sutelarum nimirum ac
 velamentorum otii. His nomen validorum mendicantium
 applicari nemo sanus dubitat; quia ex industria suæ artis
 bona corporis habitudine præditi vietum quærere, non ve-
 rò aliorum damno impinguescere deberent. Reinh. König in
 theatr. polit. part. 2. c. 10. n. 47.

IV.

2. Hos sequi solent, qui mundum per vagantur, nec ha-
*Vagabun-*bent alicubi certum domicilium, in quo habitent. Proprio
 di. nomine Vagabundi *Landstreiffer* dicti Jul. Clar. in pract. crim.
 quest. 3. vers. sed hic quæsio: propterea maximo odio in Jure
 nostro laborant hi Vagabundi; Quibus scilicet nulla in
 Provinciis certa est habitationis sedes, quiue quotidiè per
 varias civitates oberrant, nec firmum domicilium, vel man-
 sionem ullibi habent. Peguer. Decis. 3. num. 9. & 14. Hi
 ubilibet locorum, & ubicunque reperiuntur, conveniri ac
 puniri queunt. Plot. conf. 133. num. 14. Grammat. decis. 76.
 num. 9. Clar. in pract. crim. quest. 3. vers. ceterum. Cæpoll.
 conf. crim. 58. num 23 Boss. tit. de form. comp. numero 70.
 Ruin. consil. 18. num. 3. lib. 4. in civilibus atque criminalibus
 pro testibus idoneis non admittuntur. Dicit. Peguer. def. 3.
 num.

num. 10. &c. Matrimonium illis contrahere non licet, nisi servatis, quæ habentur in summi *Silvest.* de *Pier.* in verb. Matrimonium num. 7. vers. quartum. Et melius in concilio Tridentino sess. 24. cap. 7. ubi sequentia habentur. Multi sunt, qui vagantur, & incertas sedes habent, & ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relictâ, aliam & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt: cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipient: Magistratus enim seculares hortatur, ut eos severe coërceant; Parochis autem præcepit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Pet. Nicol. Mozz. de contr. tit. de met. quest. qui possent. contrah. matrim. num. 23.

V.

Non incommodè quæri potest, utrum banniti merito dicantur Vagabundi, & an disposita in Vagabundis, etiam in bannitis disposita censeantur? Et quamvis prima fronte videatur pro affirmativa pugnari l. 17. §. 1. ff. de pæn. l. 1. §. 2. & 3. de legat. 3. quia sine civitate & domicilio esse videntur. Negativam tamen veriorem judico, quia nempe quis ex solo banno non efficitur vagabundus, in alia enim civitate domicilium habere potest. Alias si sine certa habitatione per mundum vagaretur, tum utique habendus esset pro vagabundo. l. clarus quest. 39. vers. fui interrogatus. Alber. in Tract. de stat. part. 4. quest. 80. us. item quero.

VI.

Vagabundis quoque non eximo milites circumfor-

B

neos,

neos, vagos, colluvietenus sese colligentes, absque certo duce grassantes, vicatim & ostiatim oberrantes. Catharmata illa ac nebulones, qui in plateis & viis passim spaciont, in pagis hinc inde vagantur, sub praetextu militiae miseros rusticos exsugunt, illorum anseres & gallinas furantur, ab iis stipendum vel victum illicite colligunt, vel invitis injuste extorquent, ut videantur planetae illi terrestres, qui recta rusticorum, non bella sequuntur, & nulli domino serviant: Germanicè Rottierer / Gast- und Herrenlose Knechte / Hünernfänger und Freybeuter / qui militare dicuntur, sicut catulus in sylvis: Bald. in l. i. in fin. C. qui bon. ced. poss. Quorum latera claudunt, qui olim manus pendulas habebant ex stapede ad rapinas, Heckensreuter / Heckensischer / Staudenreuter / die sich auff dem Stegreiff nehren. vid. Knipschild. de fidecommis. cap. 8. n. 467. & sequ. Bocer. de quæst. & tortur. pag. 337: Reichs-Abschied. de Anno 1555. §. Und damit angeregte Policey. Anno 1577: Tit. 7. von den Herrenl. und Gart. Item Chur-Pfälz Land-Recht Tit. von Bettlern und Landstreichern 16. Fol. 22. §. Gleicher gestalt sollen auch / ic. Nec hinc excipio milites veteranos, qui in bello pro patriâ stipendia meruere honestamque missionem impetravere, nisi claudi, cœci, debiles, corporeaque mutilati reversi fuerint.

V I I.

Schola- 3. te **Vaganten.** Qui peregrinationis titulo vel sub alio fucato, praetextu per regiones & provincias per multos annos divagantur, summamque saepius honestis molestiam creant. Hi homines non amore doctrinæ, sed scientiæ ac literarum odio servitorumq; impatientia oberrant, non ut addiscant,

verum

verum ut semel , maximo labore summisq; impensis me-
moriæ mandata perdant , mendaciis , fraudibus , variisque
artibus nuimmulos corradant , eosque vix acquisitos in ta-
bernis ac popinis turpiter consumant . Quis hos valido-
rum mendicantium numero eximeret ?

VIII.

Verum obliicit mihi nonnullus haud incongrue ;
cunctis mortalibus , præprimis scholaribus , quorum scien-
tia totus illuminatur mundus *Auth. Cod. ne filius pro patre* ,
alimenta non sunt deneganda , quia non vivitur vento
l. 2. in fin. C. de alim. pupill. præst. Nec magnos progressus
in studiis facere possunt scholares , curâ victus & amictus
præpediti ; pecunia , ut vulgo clamant , omnium rerum a-
gendarum nervus est , quidni & studiorum ? Sed unde
pauperculis Scholaribus subsidia , si res fuerit angusta do-
mi , & tu stipem ostiatim illos acquirere prohibueris ?
Non diffiteor in quibusdam locis quotidie hoc accidere ,
ut pannosi & laceri quidam Scholares ad divitum ædes
stipem & viatica emendicantes de lacrimabili studiorum
conditione graviter conquerantur . Verum enimvero hic
modus studiorum sumptus colligendi , ut miserabilis , ita
plerumque inutilis . Alia subministrari possunt remedia ,
uti infra monstrabimus , quibus strenuis literarum culto-
ribus subveniatur . Animus , quem altioribus patere cogita-
tionibus deceret , à Musis ac literis redderetur sic fere
alienus ; quin & ad otia atque inde provenientes turpi-
tudines assuetà oberrandi consuetudine foret promptissimus .

IX.

Et quod palmarium est , exigua vel plane nulla spes
in illis erroneis Scholaribus appareat , ut aliquando ad me-
liorem frugem redirent . Sæpe experimur , quomodo ple-
rumque

rumq; emendicatis, vel plane fictis commendatitiarum diplomatis, libris memorialibus, seu Albis amicorum, vulgo vocant **Stam-Bücher**/muniti, eruditorum examina subterfugere non erubescunt. Proferunt ore vel scriptis consuetas suas mendicandi formulas, præter istas vix tria verba respondere norunt, ac magis muti, quam pisces decedunt. Alii honestiori quasi specie incedunt, testudine aut pandurâ quadam instructi, ac hymnos, quos in Scholis trivialibus olim addidicerunt, interdum vetustate ipsa antiquiores cantando bonorum fores obsident, ne viaticum gratis reportent. Omnes hi, qualem qualem etiam gerant titulum, veluti inutilia Reipubl. literariæ pecora, favore ullo indigni, ordine invalidorum mendicantium meritò excluduntur, cum raro emendando vitam, utilem Reipubl. operam navare soleant, imò quos mendicitate pertœsos desperatio tandem in milites, Monachos, Agyrtas aut Scenicos convertit.

X.

4. Hujus farinæ homines judico & illos, qui sub aliis *Religiōsi*, qua religionis simulatione alimenta inertiae querunt, vocantur *fratres mendicantes*, quasi nihil proprium ipsis habere liceat. Et quamvis omnes religiosi, qui vivant ex eleemosynis, secundum etymologiam vocabuli, possint dici pauperes & miseri mendicantes; illorum tamen, qui ab initio hoc sibi nomen vendicarunt, varii ordines recensentur, ab *Emanuel. Roderico in comp. quest. regul. verb. ordo. f. 308.* Quorum quidam regias opes possident, principumque palatia passim inhabitant, ac plus vicies centena aureorum milia quotannis ex vestigalibus suorum collegiorum percipiunt. *Matth. Sutlivius d. monach. instit. cap. 21.* Hi nimirum sunt illi pauperes, qui dum se nihil habere simulant, omnia possident, ut testatur *Crantzus Metrop. lib. 7. c. 42.*

XI.

(13)

X I.

Neque votum paupertatis illos excusat, quum expresse sit prohibitum, ne sit mendicus in populo, *Deut. 15. vers. 4.* Nec exemplum Christi imitantur, qui pecuniam ab aliis oblatam non devovebat, aut abjurabat, sed in loculis reponebat. *Matth. 26. 9. Joh. 13. vers. 29.* sicuti quoq; Apostoli pecuniâ emebant vitæ necessaria. *Johan. 4. vers. 8.* Sed hodiernorum alia mens, alias finis veterum est; Veteres bona sua distribuebant pauperibus; hodierni an idem faciant, dubito. vid. *Hier. in epist. ad Heliod. & Cassian. lib. 4. de institut. Monach. cap. 4.*

X II.

Quicquid sit prætensum paupertatis votum, meram credo illusionem. Aut enim pauperes sunt, qui votum illud faciunt, & sic stolide vovent id, quod jam sunt; aut divites, & sic fiunt hypocritæ, quia bona sua destinant monasteriis, ut inde absque ulla sollicitudine vitam otiosam transigant. Hi mendicantes, licet penum & cellam suam ex missis, donationibus, confessionibus, & aliis mille artibus repleant, paupertatem tamen omnes vovent. Alit eos quandoque Ecclesia divites, quos tenuit mundus antea mendicos.

X III.

Illaudabilenr igitur horum mendicitatem in terris protestantium haberi, omni caret dubio: eos igitur validorum mendicantium gregi accensentes à veritatis tramite haud aberrabimus. Idem ferre judicium licet de iis, qui sub prætextu singularis devotionis in peregrinantium habitu otiosè divagantur, quos vulgo Wallfarths-Brüder appellant. De his, & quæ ad harum peregrinationum materiam

spectant , vide *Johan. Pitsium de peregrinatione libros septem Düsseldorpii Anno 1604. in 12. impress.* addas quoque omnino *Le Pelerin de Lorette. R.P. Ludovici Richeom.* ubi materia hujusmodi devotionis ritusque peregrinantium ex professo & fundamentaliter, nervose quidem, sed non sine maxima superstitione tractantur.

XIV.

6. *Moniales* In hâc classe pono & *Moniales* illas mendicantes, die Bettel-Nonnen. Putant quidem nonnulli legem nostram unicam de valid. mendic. de masculis tantum loqui , verum eam ad utrumque sexum extendi nemo dubitabit. Otium quippe ac mendicitas in quovis sexu turpis , Reipubl. perniciosa , multorumque malorum fomes , ac propterea legibus coercenda est. *Fritschius ad. b.l. c.8. §.13.14.*

XV.

7. Sæpe videmus quoque hodie ostiatim eleemosynam Exules petere quosdam sc̄e ob Evangelii confessionem exules propter eos conquerentes ; sed sub pallio veritatis plerumque ob religio. tegunt fraudem , sæpiusque ipsi nesciunt, cui religioni ad nem. dicti sint. In hos diligenter inquirendum , & à veris , qui in numero validorum mendicantium minime habendi, exilibus probè dignoscendi , ne ut validi mendicantes exiliū fingentes dignioribus præcipiant eleemosynas.

XVI.

8. Ultimo loco pono *Cingaros seu Saracenos* , quos Cingari. Germani Ziegeuner / Itali Cinganos , Galli Egyptiens ou disieurs de bonne aventure , Hispani Gitanos appellant, genus hominum vagum ac plane inutile,

*Quos aliena iuvant, propriis habitare molestum
Fastidit patrīum non nisi nosse solum.*

Mul-

§(15)¶

Multos video anxious de eorum origine, verum cùm in tanta opinionum varietate certi quid vix asserere possim, pa- rum illius sollicitus hic ero, sed litem aliis dirimendam re linquam. Sufficit experientiam in superiore tricennali bello non sine ingenti rei familiaris detimento nos edocuisse, Cingaros nihil aliud esse, quanī manipulum validorum mendicantium, & colluviem otiosorum furum è variis na- tionibus non ita, uti volunt, remotis, sed vicinis colle- ctam, qui extra civitates, in agris, in triviis tentoria eri- gentes proditionibus, latrociniis, compilationibus clancu- lariis, subreptionibus, deceptionibus, permutationibus ac chiromanticis artibusse sustentant. Friedl. in medull Theol. loco de Magistr. polit. qu. II. Christoph. Besold. thes. pract vox Ziegeuner. Item ad eandem vocem Speidel. in Specul. jurid. polit. Imo maximam eorum partem Germanos esse, mul- ti multis deprehendere indiciis.. Ex Aegypto se esse quidem constanter mentiuntur, extorresque domo à superis cogi ; majorum delicta, qui Deiparam Virginem cum puerō Jesu hospitio excipere recusārint, septem annorum exilio ex piare: alioquin calamitatem & sterilitatem omnino præsto es- se, impudenter fingunt.. Sed aliter se rem habere, quotidie experimur..

XVII.

Hūjusmodi fūcorum ignavorum examina dicuntur in libro quodam veteri Italico, sive Itinerario ad Jérusalem L. s. esse posteri Caini, vagi & extorres propter ipsius pec- catum : quod tamen absurdum, cum omnes illi perierint in diluvio universali.. Notabiliora qui scire desiderat de hisce hominibus adeat Camer. cent. I. cap. 17. cent. 2. cap. 75. Schönb. 3. polit. 16. Limn. I. P. l. 9. cap. 1. n. 16 II. & sequ. Zeil. cent. II. Ep. pag. 414. sequ. diss. I. Cl. Rupertii ad Val. Maxim. 6. 2. .

*l. 2. cap. 6. it. Polyd. Virg. de rer. invent. fol. pen. & plures
alios.*

XVIII.

Hæc ignava pecora & inutilia terræ pondera amba-
bus quod dicitur manibus Mendicantium validorum ordi-
ni adscribitus, & rectissimè jam dudum ante centum &
sexaginta annos publicis Imperii nostri legibus prospectum
est, ut Cingari nuspiam securitate gaudeant, sed ad Gara-
mantas & Indos removeantur. *Recess. Imperii de A. 1500. in
Comit. Aug. habitis. & de A. 1530. item de A. 1544. & ordi-
nat. polit. Franckfort. de Anno 1576. sub tit. 28.* Cum quibus
coincidit Chur-Pfaltz L. O. Tit. von Zigeunern. fol. 84. Nach-
dem den Zigeunern / darumb daß sie für Außspäher/Kund-
schaffter / vnd Verräther der Christenheit gehalten / auch mit
Heydnischer Abgötterey / vnd andern vnchristlichen Eastern
kündlich behafftet seynd / hiebevor auff mehrmahls gehaltenen
Reichs-Versammlungen des Heil. Reichs teutscher Nation
gänzlich verbotten worden / davon dann insonderheit die offe
angeregte/ jüngst in Anno Sieben vnd Siebenzig zu Franck-
furt erneuerte Reichs-Policey-Ordnung flare versehung ord-
net / n. Sic quoque ejusmodi Cingari in ducatu Würtem-
bergico non feruntur, & quidem ideo, quia olim ducem
Eberhardum, uti refert *Crus. Annal. Suevic. part. 3. fol. 426.*
Sultano prodiderunt. Pari ratione ante aliquot annos pulsí
sunt Galliā *vid. Mercure François tom. 2. fol. 318.* Nihilomi-
nus, licet toties de non tolerandis in imperio Cingaris una-
nimo ordinum placito severe edictum fuerit, attamen
Germaniam perniciosissimis hisce hominibus in hunc usque
diem non esse purgatam quotidiana edocemur experientia.

XIX.

(17)

XIX.

Dantur adhuc alii quos sub titulo otiosorum mendicantium referre possem, sed brevitatis ratione habitorum enarrationem supersedeo. Sufficit potiores cognovisse. Introducemos enim in sequenti capite fraudes eorum, & sub hisce videbimus aliud deperditissimum genus. Nunc superest ut horum, quo eo melius cognoscantur, otiosorum mendicantium demus descriptionem.

XX.

Et, uti post Accursium in *l. nostra unica C. de valid mendic. Jacob. Menochius & l. C. lib. 2. cent. 6. cas. 532.n.6.* item Perez. in *d. l. un. n. 1.* explicant, ex ore ipsorum illos validos judico esse mendicantes, qui nulla infirmitate corporis inducti ostiatim aut per plateas publice mendicant, & ex alieno vivere, quam propriis laboribus & industria sibi vivendum querere malunt. Clariorem dat Peguera *quest. crim. q. n. 6.* qui se gerunt, quasi non haberent artem, cum babeant; qui se fingunt debiles, cum sint fortes, quia nolunt laborare, sed mendicando sine labore vivere.

XXI.

Jure quidem non definitum est, neque facile definiiri potuit, quinam sint debiles & infirmi. Ab æqualitate personæ hoc dependet, ac judicis arbitrio semper relinquendum *Menoch. d.l. n. 3.* ita etiam, qui validorum mendicantium numero sint habendi, solius Magistratus æstimare debet prudentia. *arg. l.i. §. ult. ff. de jur. delib.*

XXII.

Sed unde arbitrium illud judicis? An ex sola conjectura atque imaginatione validum atque invalidum dignoscere potest? vix credo; sed oculari potius inspectione, quæ necessaria est, ut præcedat. *l. un.b.* Exploretur in singulis integri-

C

tegris.

regritas corporum , & robur annorum *C. de val.mend. No-
vell. 80. cap. 5.* Inspiciatur corporum eorum Status, qualis is:
est : Ex inspectione corporis potest comprehendendi sanitas vel
infirmitas. *Joh. à Platea ad d.l. un. n.2.*

XXXIII.

Nec judici turpis sit talis inspectio , quamvis hoc:
velle videatur *Imp. Just. in §.1. instit. quib. mod. tut.fin.* Cum
judex hominis quidem facie diligenter inspectâ , externaque
membrorum qualitate , non semper certus esse poterit de:
prætenso corporis vitio. Quoties accidit ut mendici mem:
brum aliquod corporis fractum, vitiosum , vel debile simu:
lent ; quis nescit , quam egregiè otiosam mendicitatem
palliare satagant ? Variis artibus ac technis , uti mox au:
diemus , mendicantes sese elumbos , ulcerosos , scabiosos,
mutos , claudos aliâve corporis parte mutilos ac invalidos
ostendere didicerunt. Hisce casibus judex validitatem mem:
brorum , aut corporis sanitatem aliter judicare nequit, nisi
detractis vestibus & sublatis fasciis probè membra inspiciat:
& corpus contrectet.. Et si vitium corporis esset latens, nec
in oculos hominum incurrens , medicorum judicio stan:
dum securius erit, cum in ejusmodi rebus dubiis eorum sen:
tentiam *J.Cti sequantur. l.12.de stat.hom.*

XXXIV.

Non incommode quæri posset , an nobilitatis vel
dignitatis mendicantium ratio aliqua esset habenda ? Impe:
ratores quidem in saepius laudata constitutione tam ingenuè
natos , quam servilis conditionis homines ab otiosa mendi:
citate repellunt : Quod tamen nobiliores, vel in aliquo digni:
tatis gradu constituti à Magistratu hujus sanctionis vinculo
rectè eximiantur, facile quis persuaserit. *Fritschius. c. 3. §.15.*
in

in tract. ad l. b. un. Tantum de primo Capite sequitur
jam

C A P U T II.

**Quibus technis & fraudibus utantur
Mendici , deque eorum
coercitione.**

Aphorism. I.

Variis versutiæ artibus homines decipi , nemo sanus negabit , neque credo ullum inter homines vivere, qui conversando illæsus evaserit. Quis homo enim hominem non decipit ? Fides ubivis terrarum exulat , regnat fraus, ac calliditas dominatur. Non tanto studio neque tot laqueis venatores aut aucupes feras ac volucres captant, quot versuti homines alios quosque simpliciores. Monstrantur digito fraudum Magistri, & ille prudentior judicatur , qui peritior est fallendi. Si unquam hæc vera fuerunt, præsenti ætate verissima videmus , ac meliora vix speranda testatur Lyricorum Princeps Horatius , dum in libr. 3. Carm. od. 6. sic canit.

*Damnoſa quid non imminuit dies ?
Ætas parentum peior avis tulit
Nos nequiores , mox datus
Progeniem vitiosorem.*

Nullum autem impostorum genus fraudi majorem operam dare mendicantibus , mihi persuasum habeo. Superant omnes calliditate , & innumerabiles sibi excogitare artes ad emungendos misericordiâ homines, quæque adeo frequentes sunt , ut si eas in memoriam revocemus , meritò cum *Jodoco Damhoudero in prax. rerum crim. cap. 110. n. 57.* doleamus, sacrosanctam hanc legem unicam *d. val. mend.* tam neglegtam , atque adeo poenè jacere sepultam , neque diligentius revocari in usum. Quod si namque fieret , non tot nebulones otiosos , non tot scelerosos impostores alerent passim regiones, neque tot committerentur flagitia.

Adorientur te mendici pannosi , squalidi , gemebundi ac plorabundi , gestibus , voce , verbis , eleemosynam à te petent , ut inde misertus aliquid ipsis largiaris ; jovemque lapidem jurares, illos mala latentia vera prædicasse. Ast si paulò penitus faciem , brachia , pectusq; inspexeris , fascias ac pannos linteos purulentos corpori detraxteris , omnia nitentia & valida invenies , nihilq; aliud mali videbis , quam quod per universum corpus illorum serpsit , perque venas ac medullas ita grassatur , ut nullum ipsis sit corporis membrum , quod seie laboribus ac operis tradere valeat , unico verbo , pigritiam ac desidiam reperies.

Tot stratagematibus edocti sunt , quæ nunquam effugere possis, licet sapientissimus. Optime norunt, unum omnibus non placere : Viros non delectari nugis , quibus fœminæ maxime capiantur. Aliis verbis divitem , aliis mediocris

diocris conditionis hominem, aliis religiosum appellant. Hos per Dei amorem, illos per Dei reverentiam obsecrant. Aliis optant, aliis voent, quod quisque maximè desiderat. Ante templa, ante fores, in plateis publice consistunt, ostentantes capita ulcerosa, pedes mira arte, inducto cortice, ita præparatos, ut toti gangrenâ videantur infecti. Hic malitia omnibus miserationem incutiunt, plurimis lacrimas excutiunt. Quo major deformitas appetit, eò majorem stipem à prætereuntibus efflagitant.

V.

Nonnulli ex hoc nebulorum grege ad commoven-
da hominum corda straminibus inicumbunt, mutos assum-
piâ quâdam balbutie simulant, tintinnabulum alterâ ma-
nu agitantes. Alii prætendunt mutilatas manus, alii tu-
midum ventrem ostendunt. Hic dilaniatam faciem, ille
crus suum putrescens. Ad vivum quasi eos depingit Lu-
dov. Milich. im Schreyteuffel Theatr. Diab. I. fol. 283. Die
Bettler pflegen mancherley betriegliche Ursachen ihres bet-
telns fürzuwenden / dann etliche binden ihre Schenkel oder
andere Gliedmassen mit Lumpen / als ob sie Lahm vnd ge-
bräuchlich wären / etliche brauchen die Klappen vnter dem
schein des Aufsakes / etliche verhelen ihre Rede / flingen
mit Schellen / vnd deuten als die Stummen / etliche lassen
sich leiten als Blinde / etliche vnd derer sehr viel zeigen er-
dichtete Briefe / als ob sie mit Brand / oder sonst
vmb ihre Nahrung kommen / oder mit der fallenden Sucht
vnd andern Gebrechen beladen seyn / etliche beschädigen selbst
ihre Kinder / oder wo sie sonst beschädiget seyn / wollen sie
ihnen nicht helfen lassen / geben sich für Kriegs-Leute / Leuz-
tenanten auf / ic. etliche gehen mit Leyern / Geigen vnd Ges-
sängen vmbher / ic. Solches alles ist eytel Diebstal / dann

C iij.

sic.

sie fressen das Brod mit Sünden / beschwärten die Leute/ vnd
sind in den Gemeinen wie Disteln in einem Garten / oder
Acker mit Frucht. Exempla hisce peiora , quæ hic non ad-
ducere audeo, videbis in Specul. Speidel. tit. Bettler. præ-
primis apud Thom. Garzon. in dem allgemeinen Schauplatz /
discurs. 71. item apud Conradum Agyrtam von Bellemont in sei-
nem Hummeln oder Grillen-vertrieben / cap. 5. fol. 27. &
sequ.

VI.

Horrenda sane & execrabilis parentum impietas .
qui diabolica rabie inducti insonibus propriis liberis non
parcunt. Bestias quâvis feritate feriores crudelitate vin-
cunt, quum religio ipsis non sit , sanitate etiam corporis ,
qua nihil in vita preciosius, liberos privare , quo sic mutilati
instrumenta reddantur misericordiae.

VII.

Affirmant horum impostorum vitæ peritiores,in illis
locis, ubi major numerus accrevit , uti tempore nundina-
rum Lipsiæ , Franckofurti , Norimbergæ , &c. fieri solet,
certam ipsis esse tribum , certas leges ac statuta , quæ non
minus quam Magistratum sanctiones ac jussa transgredi
periculosest sit. Caput sibi eligunt , quem Regem appelle-
lare non erubescunt , coram quo rei comparere , & sen-
tentiam audire tenentur. Huic Regi decimas præbent, ab
ipso jus condendi tuguriola conducunt : Ille limites ter-
minat , & litigantibus jus dicit. Eò dementiae illos proce-
dere audivi , ut de præcedentia interdum non minimas
rixas commoveant, alter altero certet esse deformior , al-
ter altero antiquior mendicus.

VIII.

(23)

VIII.

Non adducam h̄ic illos fraudis ac nequitiarum magistros , qui non simulato morbo , sed fictitiis literis , diplomatibus & sigillis onusti discurrentes integras regiones & provincias mendicando sub pr̄textu partim exstruendarum ecclesiarum , partim exustarum civitatum immensam quandoque colligunt vim pecuniaꝝ . Nec mentionem faciam ex Turcicis terris advenientium , plerumque sub vinculorum ac catenarum oncre , quod circa pectora portant , ferè gentium : Vestitus ac comata illorum facies horrorem hominibus incutere posset , ut liberalitatem , ad evitandos barbarorum prolixos sermones , exercere cogantur . Utrumque hoc genus uti s̄epissime est audacissimum , ita & nequissimum . Discurrunt per terras , & civitates , quo explorent illarum arcana & vires . Memini aliquos hujus farinæ deprehensos secum portasse plurimas & nobiliorum civitatum , munitamentorum & arcium Germaniæ delineationes , locorum promptissimas descriptiones ; Sed in quem finem , nisi proditionis ?

IX.

Ast , si ulterius istorum ignororum fucorum nequitiam , quā piâ quasi fraude eleemosynas extorquere satagunt . enarrare progrederer , linum lino nectere , & è puris paleis trituram frumenti mihi facere viderer . Igitur ad horum coercionem me convertam , ne tanta malitia maneat impunita , neque , quum hâc rerum temporumque intemperie tot oberrant ,

*Littora quot conchas , quot amæna rosaria flores ,
Quotque Soporiferum grana papaver habet ,*

men-

mendicabulorum inutilium numerus plus justo accrescat.

X.

Laudabile olim apud Gentiles institutum erat, ubi certos Censores in Republ. dabant, quibus negotium erat, ut in omnes cives summopere inquirerent, ne ullus otiosus deprehenderetur in urbe. Hi ab universa plebe otium prohibebant, quo quisque haberet negotia sua, quibus à malo publico deterretur, ne nihil agendo male agere discebet. *Fenestella d. Magistr. Rom. Joh. Rosin. d. antiqu. Rom. Keckerm. p. 2. system. p. 1636. Conrad. Rittershus. part. 12. Novell. cap. 15.* Sic quoque Amasis Rex Ægypti legem sanxit, ut singuli quotannis apud cujusque præfecturæ præsidem profiterentur, unde viverent: qui autem hoc negligeret, aut genus vitæ præsidi approbare non posset, huic poena ultimum supplicium esset. *Herod. in Euterp. Älian. 4. var. 1. Alex. ab Alex. 3. gen. dier. cap. 13.* Tanto odio otium prosequabantur olim boni, optime consci, vitam humanam instar ferri esse, quod si exerceas, usu conteritur, & cum splendore quidem; sin minus, rubigine exeditur: Sic homines honestè se exercendo conteruntur; si non excentur, inertia atque torpedo plus illis detrimenti adfert, quam industria.

*Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ!*

XI.

Non minus utile quam summè necessarium in Rebus nostris esset, si vestigiis gentilium, sæpiissime suo exemplo nos præcuntium, insisteremus, nec Sanctio Regis Amasis ubiq; loco.

Iocorum neglectui haberetur, tot hominum catharmata, tot Sycophantæ ac impostores non obsiderent fides nostras, aut laborare aut segnem vitam mutare tenerentur. Igitur prudentia civilis huic malo imminentि obviam it, & ubique maximè grassanti medetur. Extat de mendicis vetus, uti putant, constitutio Caroli M. vel ex Carolingis ipsius successoribus, quam, cum alias quoque res mirabiles contineat, integrum hīc inseram: *Mendici per regiones vagari non permittuntur: Suos pauperes quæque civitas alito: illis, nisi manibus operentur, nullus quidquam datur: Mangones, Vagabundi, & cötiones, qui imposturis homines ludunt, coercentur: Facinorosus oculum pro prima culpa perduto: Culpam iterans naso truncator: Tertio deprehensus capitalem pænam luito. Nemo militiae socium suum, aut quemlibet alium ad potandum invitato: Quod si quis ebrius repertus fuerit, ejectus quo ad culpam cognoscat, aquam bibito. Vid. p. Camer. cent. 2. med. hist. 64.*

XII.

Eandem ferè sententiam sequitur Ulpianus in l. 13. d. off. præsid. inquiens: *Congruit bono & gravi præsidi curare, ut pacata atque quieta provincia sit, quam regit, quod non difficile obtinebit, si sollicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquerirat: Nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquerire debet, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, receptoresq; eorum coercere sine quibus latro diutius latere non potest. Sic Nov. 80. cap. 5. Mendicos non frustra terræ onus permittit, sed illos tradi vult operum publicorum artificibus, ad ministerium & præpositis panificantium stationum, & hortos operantibus, aliisque diversis artibus, aut operibus, in quibus valent simul quidem laborare, simul autem ali. Qui noluerint inservire operibus, sectantur civitate, &c.*

D

Nec

Nec longè Constitutio hæcce Justiniani à Lege Platonis discedit , qui lib. XI. ita sanxit . Nullus in civitate nostrâ Mendicus sit , quicunque verò id tentaverit , victumq; inexplebilibus precibus colligere cæperit , à rerum venalium curatoribus è Foro pellatur , ab ædilibus urbe , ab agri Magistratu ex totâ regione exterminetur . Cur autem placuerit Mendicitatem judicio extraordinario vindicare , non difficile dictu est . Profici- scitur enim ab inertia , quæ sola Athenis crimen erat : Ideo- que ut Valerius Max. ait lib. II. cap. 6. producebatur è late- bris suis in forum , perinde ac delictum aliquod , fiebatq; ut facinorosæ , ita erubescendæ rea culpæ . Inertia porrò egestatem gignit , utrique comes furacitas , aliaque facino- ra , Phocyl. in sentent..

*Operare , ut ex propriis baboribus vivere possis ,
Omnis enim vir piger de furtis suis vivit manibus .*

XIII.

Imperatores Gratianus , Valens & Theodosius in nostr. l. unic. de valid. mendic. constituerunt , quod mendicus validus , si servilis esset conditionis , efficeretur servus ejus , qui inertiam mendici detegebatur : Si vero mendicus ingenuus vel liber esset , colonatui adscriberetur ei , qui validum demonstrabat . Ast æquo gravior ac rigorosior hæc mendicitatis pœna videtur , vid. Perez. h. Hinc apud Italos jam desiisse affirmat Menochius d.l.n. 10. Et in Gallia eam valorem ullum habere negat Guil. Benedict. d. loc. ut & in Germaniâ nostra , teste experientia . Sed quid leges sine moribus vanæ proficiunt ? Secundum Plautum : Laudamus veteres , sed nostris utimur annis . Petr. Heig. part. 2. quæst. 27. n. 16. Qualis igitur coercitio adhibenda ? Iniquum enim est

est paribus frui privilegiis in civitatibus otiosos cum iis, qui probe suo officio defunguntur. Severitate opus est, quia nec exemplo nec argumentis mali moventur. Neque Reipubl. tranquillitas & quies conservari potest, nisi pessimi homines poenarum metu, vel ad saniorem frugem reducantur, vel pro delicti qualitate è medio tollantur, & ubi nulla severa judicia excentur, bona ingenia corrumpuntur. *socr. in Europ.* Perezium igitur ad d.l.unic.audiamus hodie, inquit, mendicantes validi, otiosi, decoctores, qui *invalidis* & egenis panem præcipiunt, & res alienas gratis ut mures exedunt, jubentur quantoq[ue]s provincia excedere, ut omnino munda sit ab hismodi animalibus. *Plat. lib. II. de LL.* si denuo unde expulsi redeant, virgis cedi vel ad triremes damnari solent in Hispaniâ & Cathaloniâ; videat. *Peguer. decis. 4. Joh. à Plateâ d. l. un. n. 2.* Eandem sententiam fovet Chur-Pfälz Almosen-Ordn. sub tit. *Bettler vnd Landstr.* fol. 21. & 22. S.dieses ist/ ic. verbis: Welche aber nur Landstreicher seind / vnd auf einem Land in das andere lauffen / daheim das ihre verlassen / vnd nicht arbeiten mögen / die sollen ins Land nicht gelassen / sondern auff den Ort Ampten strack durch unsere Ober-vnd Unter-Ampfleut / vermöge vnlängst allbereit aufgegangenen Bes�hs zurück gewisen werden / daher sie kommen.

XIV.

Haud contemnendum sed optimum ac Reipubl. utilissimum coercendi modum judicarem, quem Justinianus Imperator nobis in adductâ *Novell. 80. cap. 5.* præscribit, damnationem nempe ad opeta publica, quæ olim in Romanorum republica usitatissima erat, uti videre est *ext. ff.C. de pénis.* Huic etiam sententiæ unanimiter adstipulantur politici hodierni. Besoldus *alia ratione*, dicit, *quam vulgo fit*, mendicantibus *effet proficiendum*, & occasio laborandi præbenda,

D 2

quod

quod forsan commode fieri posset , si aliqua species servitutis re-
duceretur , iisque publicis operibus adhiberentur , liberaliter tra-
ctarentur & proletariorum civium loco haberentur . Refert
sese quoque ad hunc coercitionis modum Imperii ordi-
natio politica d. A. 1577. rubr. von Bettlern in verb. So
darüber solche starcke Bettler befunden / sollen dieselbige ver-
mōge der Rechten / oder sonstigen gebührlich gestrafft werden /
andern zum abscheu vnd Exempel . Decretum huic haud ab-
simile , commemorat Augustus Thuanus lib. 3. histor. ad
ann. 1547. Promulgatum fuisse à Rege Galliæ Henrico II.
Nec non ipsius continuator testatur p. 318. Ludovicum XII.
A. 1612. idem sanxisse . Sic quoque ordines Hollandiæ Edi-
cto A. 1596. promulgato sanxerunt , ut si quis absque in-
dultu prætoris vel officialis mendicaverit , si validus sit, pri-
mum carcere , & virgis, nec non interdictione provinciæ ,
postea virgis , stigmate , exilio coercentur ; sin invalidus ,
primum carcere , sine virgis , de hinc virgis, stigmate & exi-
lio puniatur.

X V.

Injustè tunc Validi mendicantes conqueruntur , se nul-
lam materiem laborandi invenire posse , cùm nullus ferè
Princeps , nulla Respubl. reperiatur , quæ non publica quæ-
dam opera exstruat . Sic in Regiis aliisq; Electoralibus fort-
alitiis condementur homines ad opera publica , vulgo di-
cuntur , Schaffen . In Electorali Dresdâ , zum Steinschnei-
den . Argentorati zum Schellenwerck . Alium coercendi
modum novissimè invenit Belgum , ubi in unaquaque fe-
rè civitate ergasteria publica , seu domus disciplinares vul-
gò Zucht- Spinn- Raspel- Häuser / constituere . Imitantur
illud plurima Hanseatica Emporia , ubi in ergasteria otiosi ,
prodigi , mali & vagi nec non mendici validi cul-
patae .

§(29)§

patæ conversationis, & desperatæ pœnè emendationis homines cujusvis ætatis & sexus detruduntur, & ad labores cujusque ingenio, ætati, & viribus convenientes arctantur, ita ut si debitum laboris pensum præfixo tempore non perficiant, non solum cibariorum tenuitate, verum etiam fustibus, virgis & corporis cruciatu ad id compellantur. Hoc enim modo sublato otio, omnium malorum somite, non minus flagitorum radices circumciduntur, quam petulantiae fibræ evelluntur. Quare non prius ejusmodi fatinæ homines exinde dimitti solent, quam signa emendationis vitæ exhibeant, &, unde honestè vivere possint, addiscant, ut inter alia Theod. Reinking. in tract. d. R. S. & E. lib.2. class. 1. c. 7. n. 3. & 4. differit. Adde de his quoque Zorer. qu. 18. num. 4085. & sequ. part. 2. Wie gegen den Bettlern / Müssiggängern / Faulensern / vnd die nicht arbeiten mögen & num. 4089. inquit : Es ist nicht genug / wann die Gassen-Bettler ab-vnd fortgeschaffet werden / wo denen nicht zugleich eine Gelegenheit zur Arbeit gemacht oder verschaffet wird / als daß sie mit oder ohne angelegte Springer vnd Eisen an gemeinen Gebäuen arbeiten / die Gräben / Wig vnd Gassen einer Statt vnd Gemein raumen vnd säubern müssen.

XVI.

Et uti in omnibus delictis sic quoque in hoc gradus pœnatum observandi sunt : mitius enim uti ex præcedentibus audivimus puniantur oportet ignaviæ solummodo sectatores, gravius autem morbos simulantes, literisque ac sigillis falsis utentes. Quam pœnæ differentiam observat Thurn Pfalz Lands-Ordn. sub tit. Bettler vnd Landstreicher fol. 22. S. wie dann auch die ic. verbis. welche ihre Brieffe / dieweil die gemeinlich falsch / vnd die einander verkauffen zu pflegen/

D iii.

gen/

gen / vnd dann ihre Schäden / so zum mehrerntheil befriegslich / auch ihre Kleider / darinn sie etwan verdächtige vnd gefährliche Brieffe oder anders / auch biszweilen mehr Gelts vernehet haben / dann ihnen vonnöthen / mit fleiß besichtigen vnd durchsuchen / vnd da einiger falsch oder betrug befunden / sie durch den Nachrichter mit Ruthen zum Land hinauß freichen lassen / oder nach befindung mit grösserer Straff abfertigen / ic. Hinc , quamvis in Jure de poena , quâ tales impostores astici debeant , non satis constat , poena quoque falsi arbitaria sit l. 27. ff. ad L. Corn de fals. mendicantes falsarios , qui literis ac sigillis alienis abutentes casum fortuitum incendii & ruinæ fingunt , vulnera aut defectus naturæ simulant , cum membra habeant sana , meritò poena fustigationis ac relegationis perpetuæ teneri , nullus ambigo . Ac licet falsarii non essent , optimo tamen jure ceu stelliones ac impostores fustigatione ac relegatione plesterentur . Petr. Heig. p. 2. qu. 27. n. 26. quem morem pronunciandi observari de jure Saxon. testatur Carpz. in part. 2. crim. qu. 93. d. fals. crim. referendo ibi nonnulla præjudicia . Et tantum quoque de coërcitione : pergam nunc ad

C A P U T III.

Quænam mendicitas & quâ ratione in Republica toleranda.

Aphorism. 1.

HAENUS mendicitatem illicitam , ejusque coërcitionem vidimus : nunc convertemus nos quoque ad veros egentium candidatos , qui vitio corporis affliguntur , & morbo

§(31) 270

bo laborant diurno, decrepiti, vel absque culpa fortuitoque casu bonis eversi sunt, quos non modo tolerare, sed & communibus eleemosynis sustentare suadet æquitas pariter & charitas christiana. *Lath. cap. 19. n.35. Reinh. König in theatr. polit. part. 2. cap. 10. Frider. Balduin: de casibus conscient. lib.4, cap. 17. cas. 9.*

II.

Negari quidem haud potest tam legem divinam ; quam leges ac constitutiones multorum principum ac Rerum publ. prohibere mendicitatem ; De qua autem mendicitate & de quibus mendicantibus intelligendæ sint hæ prohibitiones, supra ostensum est. Habes ubiq; veros vel falsos, his si aliquid dabis, tene illud *Plauti in Trinummo* :

*De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat aut bibat :
Nam & illud, quod dat, perdit, et illi producit vitam ad miseriam.*

Illis ut des, conscientia tua tibi dictabit. *Frange esurienti panem tuum. Esai. 58. vers. 7. Nec beneficentia & communionis obliviscitor Hebr. 13. v. 10. Nisi, qui proximo opera misericordie negas, tibi omnem Dei dilectionem denegari. I. Joh. 3. vers. 27. Jacob. 2. vers. 15. & propter intermissam eleemosynam in novissima die in ignem eternum te missum iri velis. Matth. 25.*

III.

Quâ ratione quidam mendicitatem dicere solent, aliam licitam, aliam illicitam, *D. Thom. 22. qu. 187. art. 5. arg. d. l. un. C. de valid. mend.* Unde duo mendicantium genera promanant. Alii enim aut ætate, aut corporis infirmitate impediti manuum labores tractare nequeunt, ac propterea justâ necessitate ad colligendas eleemosynas adi-

gun-

guntur. Alii vero validis adhuc lacertis instructi, sed ignaviae ac socordiae morbo laborantes, mendicando sibi victum querere malunt, quam ex laboribus manuum suarum se sustentare. Fritsch. d.t.c. 4. n. 9. Hos posteriores Lectius juris-consultus ex Ecclesia graphicè describit : c. 2.

*En sedet ignavus manibus per mutua nexis,
Pigritiae donec merces accedat egestas;
Præstat enim palmis inquit palma una duabus,
Unica cui requies, gemina quibus anxia cura.*

De quibus laudabiliter disponit Thür-Pfälz Land-Recht in der Allmosen-Ordnung Tit. 3. §. Damit nun in der Gemeinde Gottes / ic. circa finem : Da aber einer arbeiten könnte / vnd auf faulheit nicht wolte / so saget Gottes Wort : Wer nicht arbeitet / der soll auch nicht essen.

IV.

Proinde adduci nequeo, ut in sententiam sœpe citati Dn. Camerarii eam, qui sentit charitatem & beneficentiam erga omnes & singulos mendicantes promiscue absque dele-
ctu exercendam esse, nec respiciendum, quid ex' se ipsis mereantur homines. Op. Suc. l.c. 74. Sic enim quilibet ignavus egenus reperiret ignaviæ suæ sustentationem, quæ tamen nullo modo fovenda est, cum sit *κακογείας ἀρχή*. Itaque probè inquirendum in mendicantes verè pauperes, miseros ac debiles, qui aliter victum habere nequeunt, & ignavos ac validos, qui alimenta necessaria sibi acquirere possent, si vellent. Illis sustentatio & eleemosynæ justè præbentur, hi meritò expelluntur.

V. Sed

Sed non omnes validos h̄ic intelligo. Reperies
 quippe interdum mendicantes, qui pro suā nobilitate clām
 & occulte stipem petunt, cum palām erubescant, juxta
 illud Matthæi cap. 8. *Fodere non valeo, & mendicare erubesco:*
 sicut constitutionem l.unic. d.valid. mendic. explicant Rebuff.
 n. 9. Job. à Platea n. 2. Tholosan. d. l. Cessant enim in his
 rationes illæ & causæ, quibus validi mendicantes rejiciun-
 tur. Confer verba magni nominis Theologi in aureo com-
 ment. ad Genes. cap. 43. sic sonantia : Diejenigen / so an-
 derer Leute milden Allmosen recht wol bedürfsten/ werden offe
 ihrer selbst eygenen blödigkeit halber auffgehalten vnd abgeschro-
 cket / daß sie sich scheuen / die Gemeinde vnd sonst Gottselige
 Leute vmb Hülffe vnd Steuer zu bitten/ sie schweigen aber
 still / vnd fressen ihren Armuth / damit sie beschwärret sind/in
 sich / laussen nicht vmbher im Land / sondern leiden ihren
 Armuth / Jammer vnd Elend mit Gedult/wiewol sie oftmaſs
 das Brot nicht haben zu essen / diese sollte man ja fürnehmlich für
 andern ernehren vnd unterhalten/ sc. videoas quoque Thur-Pf.
 Allmosen-Ordn. Tit. 5. fol. 14. §. welches denn die verordneten/sc.

VI.

Et quamvis supra ex adductis constitutionibus audive-
 rim⁹, quamlibet rempublicam, aut civitatem suos solummodo
 pauperes alere teneri, & peregrinos repellere, charitas tamen
 christiana læderetur, si onines neglectā personarum & indigen-
 tiæ ratione sine ullo subsidio aut solatio de nobis recedere pate-
 remnr. Constitutiones illæ de eo mendicantium genere sunt
 accipiendæ, qui tanquam vagabundi circulatores omnes pro-
 vincias ac civitates pervagari solent, & qui eleemosynarum
 collectionem ut artem licitam profitentur, qui que citra ne-
 cessitatem civitate vel Magistratu, ipsis de vietu prospicere vo-
 lente, reliquo solum vertere, atque stipe ostiatim collectā otiosè

E

vivere

vivere malunt. Hi sanè remittendi, & ut in terrâ patriâ suum
quæritent victum admonendi sunt. Longè autem alia eorum
est ratio, quos prædurum necessitatis telum exules reddidit &
extores, ac ad flebile mendicitatis adjutorium, ut in simili lo-
quitur justinianus in l. penult. C. de his qui bon. ced. venire jussit.
Necessitas enim ingens est telum, nulli subiectum legi, sed ipsa
interdum legem faciens. can. remissionem. vers. sed notandum. l.
qu. i. can. sicut can. quando. de consecrat. dist. i. & facit licitum,
quod alias & per se est illicitum. arg. can. si ulla XIII. q. 8. nec
jure divino nec humano necessitati lex ferri potest. Gaii. lib. i.
obseru. 102. n. 6. & sequ. Wesemb. Consil. 40. n. 28.

VII.

Non facile quoque cuilibet mendico diplomate vel at-
testationibus carenti, nihilominus de miseriâ, debilitate ac in-
digentia conquerenti fides habenda, cùm plus quis possit finge-
re, quam sit credibile ; Attamen si indubitatâ testium fide in-
nisi probabilem diplomatis vel denegati, vel amissi, vel non
petiti rationem mendicantes adferre queant, cùm regulariter
testes non minorem fidem mereantur, quam instrumenta. arg.
l. ult. C. de probat. & aliàs quælibet causa etiam injusta & be-
stialis à dolo & pœna excusat l. 12. §. 3. de liber. caus. Matth. Ber-
lich. part. i. concl. 21. n. 100. quin etiam res favorabilis & pia,
Tiraqu. de privil. piæ caus. in prefat. & ocularis inspectio cor-
poris confirmat infirmitatem ac debilitatem, ut tanquam
notoria ulteriori non indigeant probatione, l. 135. d. R. I. Ju-
dex veluti viva vox juris & δικαιος ἐπιτυχὸν ex æquitate illos elec-
mosynario dignos judicet subsidio.

VIII.

Cùm Reipubl. quoque maximè intersit mendicantium
atq; otiosorum hominum numerum decrescere potius, quam
augeri, hinc Magistratui maxima cura habenda est, ne illos, qui
hodiè mendicitatem tanquam artem licitam profitentur, fami-
liamque

Iamque famelicam s^epe satis numerosam, uxores ac liberos alere, eorumque ministerio atque opera ad corradiendam stipem turpiter abuti solent, in Republica aut civitate subsistere permittat; alias hisce hominibus occasio otiandi, divagandi, mentiendi ac furandi pessimo exempl^o præberetur. Et ex illa nimia licentia provenit, uti quotidiè videmus, inexplicabilis mendicorum cupiditas, qui modicò non contenti vel murmurant, vel quandoque mala quæque hominibus impiè imprecantur, pinguioribus eleemosynis semper inhiantes, secundum illud vulgare:

Πτωχ^ε πήρε & πίπλαται
Πτωχ^ε άυλαι άιει κεναι.

Mendici pera non impletur :

Mendicorum loculi semper sunt inanes :

Der Bettel-Sack ist Boden-loß.

Malitiosos etiam quosdam adeò reprehendes, qui ob annan^a abundantiam pro obolo panem inviti accipientes, in Deum ac homines injutii, vel canibus ac suibus eum projiciunt, vel dantibus cum murmure restituunt. *Fritsch cap.3.n.98.*

I X.

Igitur, antequam publica eleemosynarum collectio mendicis in civitate concedatur, tria piæcedant necesse est. (1.) Inquisitio in mendicantium personas, an debiles, invalidi, pauperes & eleemosynarum largitione digni. (2.) Testimonii publici de vitâ, moribus, miseria & paupertate mendicantis oblatio. (3.) Licentiæ stipem colligendi à Magistratu facta impetratio. Quomodo inquisitio fieri debeat supra dictum *cap.1. Aph. 22. 23.* Et sine testimoniosis fide dignis mendicantibus licentiam in civitate mendicandi concedere, uti hoc per se satis indecorum est, quod mendici cum perâ & sacco omnes civitatum angulos, & plateas perreptent. Quod non solum aliæ multæ constitutiones, quam *Chur-Pfaltz Land-R.* expresse prohibet. *tit.17.*

E ij

vom

vom betteln in gemein / fol. 22. Und nachdem bisz anhero das betteln mit grosser vnordnung vnd beschwärnus bey vielen eingerissen / vnd dann die Almosen-Pfleger die rechte Hauf-Armen nach jedes Nothdurfft sollen versorgen / so sollen obgedachte Allmosen-Pfleger denselbigen ernstlich einbinden / für sich vnd ihre Kinder des bettelns vor den Häusern / angesehen ein jedes Haufgesäß vorhin sein gebührnus reichert / müssig zu gehen / vnd welche sich über solch verbott des bettels nochmalen unsterstehen würden / sollen der Obrigkeit jedes Orts / die alsdann deswegen gebührliches einsehen fürzunehmen / angezeigt werden : Ita , quia cum injuria civium ac incolarum fieret , non facile admittendum. Sine impetrata licentia nullis publice stipem colligere licet : à quonam autem Magistratu hæc impetranda , loci observantia docebit . Parum solliciti hîc erimus , utrum hoc jus competit seculari , an vero ecclesiastico Magistratui , cùm per Palatinatum nostrum proprios pauperum inspectores habeamus constitutos , quos vocant Almosen-Pfleger / quibus incumbit , ut pauperibus justè ex ætario ad id destinato prospiciant . Nunc ad

C A P U T I V.

Quænam remedia , quibus paupertati subveniatur .

Aphorism. I.

UT boni medici officium est non solum in morbum & causas ipsius inquirere , verùm etiam ægtotis pharmaca sana adhibere : Sic & idem in reipubl. moderatorem cadere nullus dubito , quem non minus incrementa & damna civium , quam remedia , quibus res eorum collapsas erigit , nosse decet . Et ne quis meipsum redarguat , pertractatâ jam mendicitate & quæ mala

mala ex inde proveniant, operæ pretium iudico nonnulla remedia, quibus veræ paupertati subveniendum esset, breviter faltem delibare. Publicè enim interest rectè pauperum, sine quibus respublica nulla est, ac personarum miserabilium curam suscipi, ne querelis ullus relinquatur locus.

I I.

Quo igitur veri pauperes recte cognoscantur antequam de ipsorum alimentis certi quid statuatur, cum non omnes uno eodemq; modo alendi sint; proportio quippe habenda secundum egenorum varia genera, necessarium ac utile est aliquo modo paupertatis eorum causas etiam cognovisse. Et quibusdam causa est vel sua, vel majorum suorum ignavia; aliis vita flagitiosa; nonnullos impellunt morbi, & defectus corporales. Alios perdidit casus quidam tristis fortuitus.

I I I.

Isti qui propria culpa vel potando, ludendo, luxuriando ad paupertatem redacti bona sua perdidere, nullâ ferè commiseratione digni sunt, sed potius debitissimis pœnis excipi debent. In quorum ordine sunt vulgati isti Bancæruptores, fraudulenti ac malitiosi isti eversores, qui foro cesserunt, clausâ tabernâ, quam in foro publico habebant. l.7. §.2. ff. deposit. l. ult. d. Curat. bon. dand & pessime decoxerunt. Hic culposi decoctores olim multum exosierant, & antiqua etiam lege XII. tabul. gravi pœna plectebantur, ac ponderibus quindecim ponderum vinciebantur. Cell. lib. 20. cap. 1. Menoch arbitr. lib. 1. qu. 90. n. 14. & sequ. ubi etiam subdit, quod dabantur dilacerandi creditoribus & gravissima infamia nota afficiebantur. Bald. conf. 400. lib. 5. Ac omni privilegio privabantur, ictibusque plumbatarum illos subiiciendos esse, disponitur in l. 40. C. de decurion. Apud Muscovitas more receptum esse scribit Guagnin. in descript. Muscov. c. 4. quod omnes ejusmodi decoctores, in locum cer-

*Qui ma-
litia.*

tum & publicum ad id ordinatum duci ubique à servis prætorianis, flagris, baculisque persuras & crura pedum graviter, absque ulla misericordia cædi soleant, usque dum creditoribus satisfiat, quod si solvendo non fuerint, tunc verbieribus multoties exagitati, creditoribus secundum valorem debiti servire cogantur. Hujus farinæ homines non merentur ullam misericordiam, sed optimo jure in carcerem coniiciuntur, uti quibusdam in locis fieri novimus, & panis ater cum aqua ad vitam sustinendam porrigitur, eleemosynæ, quas in illo statu emendi~~cando~~ congessere, distribuuntur inter credores, nec prius ad libertatem permittuntur, nisi tali modo debita creditoribus persolverunt.

IV.

*Qui ca-
su.*

Casu fortuito fiunt pauperes, qui incendio, naufrago, incurso hostium, ac latrocinio res bonaque perdiderunt. His hodie tanquam commiseratione non indignis subvenitur ratione damni vel ex ærario publico vel ex concessis collectis. Prævalet autem necessitas publica totius universitatis incendium, vel invasionem & deprædationem hostilem passæ, cui præ aliis succurrentum est. Cumque modus colligendi stipem apud omnes civitates ac universitates uniformis haud sit: quibusdam enim in locis ipsimet mendicantes, vel quidam ex iis, aut etiam certi cives ad hoc officium deputati ostiatim eleemosynas colligunt: alibi verò pelves ponuntur præ foribus templi, in quas munus cujusque iniciatur; & qui sunt alii modi. Magistratui sane hâc in re incumbit, modum colligendi ita disponere, ne à more consueto recedatur, quia quæ moris sunt maximoperè observari debent l. 31. §. 20. d. ædilit. edit. & consuetudo loci cujusque in omnibus est attendenda. l. 1. §. ult. ff. d. ventr. insp. l. 50. §. ult. ff. de Legat. 1. Secundum Thür-Pfälz Almosen-Ordn.

intro-

introducitur etiam alias modus, quo hisce hominibus succurri debeat, cum tit. 5. wie den rechten Haß-Armen / & fol. 13. sic ordinatum inveniam. Da aber einer auf Leibes-Schwachheit / Unfall / Misswachs / Krieg / Brand / Alter / viele der Kinder / vnd was dergleichen mehr redliche Ursachen in dieser gebrechlichen Welt für gehen / in Armut gerathen / vnd vermögliche Freundschaft hätte / sollen dieselbige ihre Verwandten solche dem Allmosen nicht aussladen/ sondern selbst zu unterhalten schuldig seyn / wie dann die verordnete Allmosen-Pfleger oder Elesten deswegen mit der Freundschaft handeln / vnd sie dahin vermahnen/ auch die Obrigkeit jedes Orts sie/ wo noth/ darzu halten soll.

V.

Morbosi pauperes sunt qui tanta infirmitate corporis *Qui at membrorum debilitate laborant, ut nullomodo victum morbo.* & amictum sibi necessarium acquirere in vita possint. Horum cura habeatur oportet in ptochotrophiis vel in hospitalibus Armen-Häuser / Hospitale vnd Elende Herbergen / quorum fundationem rem antiquissimam esse, historiarum monumenta docent. Quoad Christianos , de eorum prima fundatione , ita differit Joh. Bodinus , de Republ. i. cap.i. Nihil, ait , antiquius ii habuerunt , qui prima Reipubl. fundamenta jecerunt , quam ut Christiani servi assidue manumitterentur , ac plerique libertatis spe proposita Christiani fierent. Inde servorum manumissiones apud Episcopos in Ecclesiâ factæ. Ex quo secuta est Constantini M. in principatu , tanta tenuum ac egentium multitudo , quibus nihil præter libertatem relictum erat , quippe nullas artes didicerunt , ut nulla re gravius civitates premerentur , inde Xenodochia , Brephotrophia , Gerontocomia , Nosocomia antea penitus ignota , Christianorum pontificum rogatione à Principibus fundari & constitui cœperunt.tot.tit.

C.de

C. de Episc. & cler. Successu temporum auctis Christianorum opibus, illi laudabilem pietatis fervorem in exstruendis ac dotandis Hospitalibus certatim ostendere, quemadmodum adhuc hodie in multis Christianorum Principum Regnis, Principatibus ac Rebus-publ. videre licet. Quanta cura horum, locorum habenda patet ex Reformat. polit. d. A. 1530. tit. 34. §. 2. & ex Reformation. polit. d. A. 1548 tit. 26. §. item 2. item ex Thur-Pfaltz Almosen-Ordnung. Multis in locis autem, bona Hospitalium male curari ac administrari, proh dolor! experientia saepius docemur. Reditus ac bona eorum distrahuntur ac dissipantur, ut ubi olim decem, hodie vix duo aut tres homines ex iis sustentari possint. Hinc laudabile in Thur-Pfaltz Almosen-Ordn. constitutum est Tit. 2. §. dieveil aber/2c. ut cura administrationis Hospitalium habeatur à vitis piis, conscientiosis, fidelibus, & bonæ famæ, reique œconomicæ peritis ac industriis.

V I.

Dantur adhuc alia Hospitalium genera, veluti *Orphanotrophia*, in quibus pupilli, parentibus ac facultatibus destituti educantur l. 32. | C. de Episc. & cler. l. 17. C. d. ff. Eccl. German. *Weysen-Häuser*; *Brephotrophia*, quæ alumnos habent infantes, præsertim exposititios. l. 19. & l. 22. C. d. ff. eccl. Germ. *Findel-Häuser* / quæ Norimbergæ, Hamburgi, Amstelodami & alibi habentur. *Nosocomia* quæ & in specie *Leprosaria*, *Lazareth-Häuser* / *Siech-Häuser* / *Pest-Häuser* appellantur, quæ prò ægrotis leprâ, peste vel aliis morbis cum primis contagiosis laborantibus, exstructa. *Gerontocormia* in quæ senes, plerumque decrepiti alte verlebte Leute recipiuntur l. 16. & l. 18. C. d. ff. Eccl. *Xenodochia*, à ξένοις i.e. peregrinis, ita dicta quæ vulgariter Hospitalia vocantur, quæ advenas, ægrotos, debiles, invalidos, qui sibi ipsis per-

per laborem de alimentis prospicere nequeunt, hospitio ex-
cipiunt d. l. 22. c. d. SS. Eccl. Reinh. König in Theatr. pol.
part. 2. c. 10. n. 23. sunt & hospitalia, quæ militibus v.g. in
bello contra Turcam pro patriâ vulneratis ac debilitatis
constituuntur, quæ strategocoria dicere possumus. Sol-
daten-Hospitale. De quibus Besold. tr. de premiis. cap. I. n.
129. Zwingler. Theatr. vol. 18. fol. 2740. qualia veneti in-
stituere, & in Germaniâ nostrâ sæpe de fundandis iis a-
etum fuit. Quoram sanè fundatio tam necessaria, quam
pia est, ut tandem milites de gratia speciali moriantur in
Hospitali, ut loquitur Nevianus l. 2. n. 155. Aliis hospita-
liam distinctionibus hic supersedemus, quia brevitati stude-
re animus est.

VII.

Uni cum adhuc quod Aph. 8. cap. I. de subvenien-
da Scholarium paupertate promisi, addam, ne & hi omni
remedio destituti conquerantur. Cùm igitur Scholares non
tantum alimentis indigeant, verum etiam varios & magnos
sumptus in solvendis præceptorum honorariis, comparan-
dis libris, conducendis Muséis, aliisque necessariis im-
pendere cogantur, Auth. Frider. de Scholarium privilegiis sub-
tit. C. ne filius pro patre, verb. amore scientiæ de divitibus
pauperes facti. Cum, licet secundum mentem Philosopho-
rum regulariter non detur vel inveniatur in terram naturâ
vacuum, illud tamen in crumenis studiosorum sæpius in-
venias. Stipendia constitui debent, non tan-
tum ad viatum & amictum sufficientia, verum etiam
ad alia necessaria, quæ studiorum ratio exigit. Si vero
stipendia nimis tenuia sunt, & Scholares aliud subsidium
ex patrimonio non habent, exiguo sanè aut planè nul-
los in studiis progressus, teste experientia, facere pos-
sunt.

F

sunt, cum tempora quotidie peius se habeant, & stipendia, quæ ante seculum constituta sunt, hodiè exigua habeantur, ut hodiernis temporibus, crescente indies annonæ caritate, se exinde Studiosi in Academiis exhibere non possint. *Fritschius* in tract. suo de stipend. cap. 6. ab init. Hocce remedio optimè egenis Scholaribus occurri potest, ne opus habeant Regiones ac Provincias mendicando per vagari. Insignis ac palmaria laus tribuenda est munificentiae quorundam Principum ac Statuum Imperii, qui pacatis ubique patriis provinciis restaurarunt non tantum beneficia Academiis collocata, verum etiam in splendide exstructis collegiis strenuis literarum cultoribus certâ stipendiorum largitate prospiciunt, quin & nonnullos in peregrinis locis ad studia ulterius promovenda sumptibus haud exiguis clementissimè sustentant.

VIII.

Etenim, cum, uti communiter dicitur, non ex quovis ligno licet pulchro & bene exasciato fiat Mercurius, omnino non tam genetis, cum saepe magna & egregia ingenia in occulto lateant, quam bonæ indolis, studiorum avitatis, pietatis ac morum elegantiae ratio habenda, & ingeniiorum qualitas, quid humeri valeant, quidq; ferre recusent, examinanda est. Vigilent itaque hanc in re Mœcenates, ac studiorum Patroni, diligenterq; curent, ne clanculariæ sollicitationes, favoris captationes, & emendicata executorum, quibus facultas stipendia distribuendi commissa, suffragia prævaleant, alias nec justus ingeniorum delectus, nec sortis paupertinæ ratio, nec exacta probitatis & morum cura haberetur. Pauper quippe hodie ubique jacet, dum nobiliorum, ditiorum, amicorum & Euclionum filii ad studia sæpi non magis quam ἀριστοὶ λύγαν idonei, eleemosynas hancetur. pessimo.

pissimo more ac modo plerumque præripiunt, quas in Academiis otiosè ac luxuriosè viventes nullâ vel satis exigua spe eruditionis adquisitæ relictâ pessime abliguriunt ac decoquunt. *Erit schius ad l. un. c. 10. n. 25.* Deinde quoque necesse est, ut temporis ratio attendatur, ut ad tempus justum & sufficiens stipendium constituatur, neque enim intra biennale aut triennale spatium studiorum cursus absolvî potest. Quiquennium ad minimum plurimi, sufficere volunt; multum faciet, si ingenium & industria stipendiarii, aliaque adminicula, fidelis nimis informatio accedat.

IX.

Et tantum quoque de paupertatis remediis, quibus etiam finio hanc Disputationem. Non diffiteor mihi hic obventurum, quod cœteris, licet eruditioribus, ut tot censores, quot lectors, paratos inveniam; Justos laudo, injustos culpo. Aliis stylus, aliis connexio minimè arridebit. Sed sciant; ambitiolum titulum huic scripto obtendere, atq; faciem meam fuso oblinire nolui. Tractando hanc materiam vestigiis Doctissimorum Consultorum inhæsi: melius enim judicavi me juvenem illorum opiniones sequi, quam nova absurdâ palinodiam merentia statuere. Et cum nihil dicatur, quod non sit dictum prius, ex aliis mihi necessaria collegi, nonnulla etiam ipse addidi. Cuilibet non cognitum est, humanum intellectum tantum hodie sibi arrogare, ut nec divinis operibus maledica lingua parcat: nec ullam tam modestam felicitatem reperiri, quæ malignitatis, invidiæ, & calumniæ dentes evitate possit. Nec ego ero primus, nec ultimus, qui omnibus placeat. Simus ut quimus, quando ut volumus, non licet: & cum quilibet sanioris judicij plus ætate de me non postulet, corroboratâ.

boratā illā graviora speret , hīc saltem conatum laudet rogo . Cordata Leuenclavii consolatione telam jam deducam :

Invideat , qui non vidit.

Invideat , qui vidit , & non pervidit .

Nec Momum metuo , nec Minum !

C O R O L L A R I A .

I.

IMmoderata adbibendi consuetudinis originem esse Germanorum veterum hospitalitatem ac convivia , firmiter credo .

2. Immoderatas adbibitiones criminibus extraordinariis ad numero , & ebrietatem non minus cum periculo aliorum peccatorum conjunctam , quam per se peccatum esse existimo .

3. Indignum est Nobilibus , mercaturam aut artes mechanicas exercere .

4. Mutuans suo collusori pecuniam ad lendum , eam repetere non potest , neque in lusu perditam tenetur quis solvere .

5. Testantis voluntas ex testamento imperfecto & non solenni , observanda est in foro conscientiae .

6. Et fæminæ , & surdi mutique legitimè ad successionem feudi admittuntur .

7. Rusticus quoq; feudum dare potest .

F I N I S .